DE

TAPROBANE INSULA

VETERIBUS COGNITA

DISSERTATIO.

SCRIPSIT

CHRISTIANUS LASSEN,

LITTERARUM INDICARUM IN ACADEMIA BORUSSICA RHENANA P. P. O.

PARTICULA I.

BONNAE,

PROSTAT APUD H. B. KOENIG.

MDCCCXLII.

Dieses Werk wurde bis jetzt nicht versandt.

BONN 1852.

CHRISTIANUS LASSEN

LECTURIS

S. P. D.

Cum ego varia mecum commentandi argumenta reputarem, quorum uno aliquo solenni orationi, ex legibus academicis a me habendae, proluderem, tale prae ceteris eligendum videbatur, quod neque a ceterorum virorum doctorum studiis prorsus alienum esset, nec nimis abhorreret ab eo litterarum genere, in quo elaborare equidem soleo. Itaque locum tractare constitui, in quo consociatae essent litterae Indicae cum Graecis, Latinisque, quas quidem a nemine nostrum alienas esse credere par est. Nec huiusmodi argumentum inventu difficile fuit, quum de Taprobane insula Indica multi iique luculentissimi exstent veterum loci, quos novis curis pertractare operae sat pretium duxi, quia haud nimis Indicarum litterarum periti fuerunt plerique, qui antea in illis illustrandis studium collocarunt, ac nostra demum aetate in lucem prodierunt monumenta Taprobanensia litterata, quorum auxilio explicari possint veterum loci. Quae autem de Taprobane veteribus cognita disserui, ea, spero, intelligentes

harum rerum existimatores eadem benevolentia accipient, qua ante hos quindecim annos similis argumenti commentationem de Pentapotamia Indica, studiorum meorum Indicorum primitias, illustrissimis huius Academiae philosophis probatam fuisse, ut olim discipulus, ita etiamnum laetor collega.

Reliqua huius dissertationis capita suo tempore edentur.

Dabam Bonnae mense Iulio MDCCCXLII.

§. 1. Prolegomena.

Tres sunt scriptorum veterum qui de insula Taprobane verba fecere, classes quum aliis rebus tum temporis ratione inter se diversae. Prima est eorum qui res ab Alexandro Magno in India gestas et negotia reges inter Indorum Prasianos atque Seleucidas acta memoriae tradiderunt, conscriptis de rebus Indicis commentariis tum ab Onesicrito, comite Alexandri, tum a Megasthene atque Deimacho, Seleucidarum ad regem Indicum Sandrocottum eiusque filium Amitrochatem legatis, ex quibus libris hausta sunt et quae in Strabonis geographia leguntur et quae in Plinii historia naturali libr. VI. cap. XXIV. priori loco exhibita sunt, adiectis quibusdam quae ad aevum inferius spectant; eisdem commentariis usi iam fuerant Eratosthenes et Hipparchus. Incipit itaque Taprobanes notitia apud veteres ab expeditione Alexandri; quam rem qui negavit MANNERTUS *), mire lapsus est memoria, prorsus oblitus Onesicritum fuisse aequalem Alexandri atque in describenda Taprobane a Strabone **) aeque atque Plinio ***) laudari.

Iam ante Alexandri aetatem circumlatam fuisse apud gentes occidentales incertam de Taprobane famam, significare quodammodo videri possint verba a Plinio initio descriptionis posita: »Taprobanen alterum orbem terrarum esse, diu existimatum est Antichthonum appellatione; ut liqueret insulam esse, Alexandri Magni aetas, resque praestitere.« At haec tamen verba, uti suo loco explicare studebo, si ad aevum Alexandro antiquius refertur notio ista de immensa Taprobanes magnitudine, veritatis similitudine omnino carere iudicanda sunt et multo probabilius est, obversata fuisse Plinii menti ea quae de Taprobane et terra cinnamomifera disputa-

*) *Geograph. der Griechen und Röm.* ed. 2. V, 1, p. 204. „*Alexanders Begleiter hatten noch keine Ahndung von dieser, ihren Zügen so weit entlegenen Insel; die ersten Nachrichten erhielten etwas später die Gesandten Griechischer Fürsten an dem Hofe zu Palibothra.*“

**) XV, 1. §. 15 Tz. „*Οἷον περὶ τῆς Ταπροβάνης Ὀνησίκριτός φησι, κ. τ. λ.*“

***) Plin. hist. nat. l. l. „Onesicritus, classis eius praefectus, elephantos ibi maiores — — gigni scripsit.“

verant Eratosthenes et Hipparchus; ad quem sane refert nos Pomponius Mela *), »Taprobane, tradens, aut grandis admodum insula, aut prima pars orbis alterius Hipparcho dicitur.« Asseverandum contra est, ne nomen quidem Taprobanes ante Alexandri aetatem Graecis innotuisse, atque hoc tantummodo specie probabilitatis quadam contendi potest, advectam fuisse temporibus iam superioribus mercem Taprobanensem cinnamomum, famamque quandam obscuram de terra, in qua id gignitur, nullo prodito nomine. Quae opinio quidem omnino in hac quaestione versatur, utrum notissimo Herodoti loco **), quo dicitur gigni cinnamomum *ἐν τοισίδε χωρίοισι, ἐν τοῖσι ὁ Διόνυσος ἐτράφη*, sub cinnamomi nomine intelligendus sit cortex fruticis, qui extra Taprobanen insulam nullibi invenitur et proprio nomine ita appellatur, an genus quoddam simile, qualia Cassiae permulta exstant; posterius si ponitur, intelligi etiam potest ora Indiae Malabarica, si omnino concedendum est, Herodoti aevo iam ad Indiam usque reiectam fuisse patriam Dionysi. At in totam de cinnamomo quaestionem nobis posthac accuratius erit inquirendum.

Neque Onesicritus nec Megasthenes ipsi insulam Taprobanen attigere, putandusque uterque est in India collegisse, quae de ea memoriae prodidit.

Secunda cognitae veteribus Taprobanes aetas ab eo inde tempore exordium cepit, quo primum India ulterior a mercatoribus Alexandrinis frequentioribus navigationibus adiri solita est. Quae res post mortem Strabonis sive annum p. Chr. n. XXIV ***) in usum tandem venit; navigatum quidem ex Aegypto in Indiam iam antea fuisse, etiamque sub regibus Ptolemaeis, ipse Strabo nos docet, sed solummodo a paucis, multoque frequentiores factae sunt primis imperii Romani temporibus expeditiones mercatorum Aegyptiorum. Verba geographi haec sunt †): *Ὅτε γοῦν Γάλλος ὑπῆρχε τῆς Αἰγύπτου, συνόντες αὐτῷ καὶ συναναβάντες μέχρι Συήνης καὶ τῶν Αἰθιοπικῶν ὅρων, ἱστοροῦμεν ὅτι καὶ ἑκατὸν καὶ εἴκοσι νῆες πλέοιεν ἐκ Μυὸς ὅρμου πρὸς τὴν Ἰνδικήν· πρότερον ἐκ τῶν Πτολεμαϊκῶν βασιλέων, ὀλίγων παντάπασι θαῤῥούντων πλεῖν, καὶ τὸν Ἰνδικὸν ἐμπορεύεσθαι φόρτον.* Satis magnus sane navium numerus h. l. traditur, referendas autem esse ad citerioris Indiae emporia hasce navigationes, alio loco idem indicat Strabo ††): *καὶ οἱ νῦν δὲ πλέοντες ἐξ Αἰγύπτου ἐμπορικοὶ τῷ Νείλῳ καὶ τῷ Ἀραβίῳ κόλπῳ μέχρι τῆς Ἰνδικῆς, σπάνιοι μὲν περιπεπλεύκασι μέχρι τοῦ Γάγγου· καὶ οὗτοι δ' ἰδιῶται, καὶ οὐδὲν πρὸς ἱστορίαν χρήσιμοι τῶν τόπων.*

---

*) III, 7. **) III, 111.

***) De anno quo mortuus sit Strabo, cf. Groskurdii prolegg. ad interpret. Strabon. Theotisc. I. p XVI.

†) II, 5, (§ 10). I. p. 313. Sieb. ††) XV, 1, §. 4. Tz.

His ita expositis apparet qui factum sit, ut de India meridionali insulaque Taprobane nil praeter ea quae ab antiquioribus scriptoribus tradita iam fuerant, indagaverit et in medium protulerit Strabo. Multo uberior post eius mortem contigit earum regionum notitia, uti docet Plinius l. l. »hactenus a priscis memorata leguntur, nobis diligentior notitia Claudii principatu contigit, legatis etiam ex insula (Taprobanen dicit) advectis.« Nimirum multo facilior ea aetate evaserat navigatio in Indiam, invento ab Hippalo vento, certis anni spatiis ex eadem plaga flante, quem ipsius inventoris nomine Hippalum veteres appellavere. Qua de re luculentum exstat eiusdem Plinii testimoninm *): »Sic Alexandri classis navigavit. Posthac a Syagro Arabiae promontorio Patalen Favonio, quem Hippalum ibi vocant, peti certissimum videbatur decies et ter centenûm XXXII. mill. passuum aestimatione. Secuta aetas propiorem cursum tutioremque indicavit, si ab eodem promontorio Zigerum portum Indiae peteret, diuque ita navigatum est, donec compendia invenit mercator, lucroque India admota est.« **)

Tutiori reddita ac breviori navigatione, tanta cepere incrementa commercia inter Indos et Romanos, ut de eorum magnitudine conquestus quasi sit Plinius, his mox additis: »digna res, nullo anno minus H.-S. quingenties imperii nostri exhauriente India et merces remittente, quae apud nos centuplicato veneant.« Nec fieri non potuit, quin de India rebusque Indicis permulta nova cum Graecis Aegypti incolis Romanisque communicarentur a nautis atque mercatoribus, quorum narrationes a Strabone omnino repudiatas fuisse vidimus, minus recte tamen, ut mihi quidem videtur, siquidem periplos nautarum mercatorumque optimo fructu ad usum doctrinae geographicae adhibuisse Ptolemaeum constat, ut aeque ea taceam quae de commerciis Indicis notatu dignissima tradit Plinius atque ea quae de Taprobane ex ore legatorum ad Claudium principem audita prodit. Ceteris omnibus qui etiam in descriptione Taprobanes antecellit Ptolemaeus, talibus auctoribus Indicae cognitionis semet usum fuisse ipse fatetur: ***) — — *ὁμολογεῖται* — — *παρά τε τῶν ἐντεῦθεν εἰςπλευσάντων καὶ χρόνον πλεῖστον ἐπελθόντων τοὺς τόπους καὶ παρὰ τῶν ἐκεῖθεν ἀφικομένων πρὸς ἡμᾶς,* — — — — — — *παρ᾽ ὧν καὶ τά τε ἄλλα τὰ περὶ τὴν Ἰνδικὴν μερικώτερον καὶ κατὰ τὰς ἐπαρχίας ἐμάθομεν, κ. τ. λ.* Notum praeterea est, periplum mercatoris Alexandrini adhuc exstare, Arriano falso adscriptum atque a viro doctissimo Vincente singulari industria illustratum, quem

*) VI. XXXI.

**) De ratione huius navigationis et Hippalo loquitur etiam scriptor peripli maris Erythr. p. 32 ed. Hudson.

***) I, 17. ed. Wilb. p. 56.

Ptolemaeo ad manum fuisse inde possis suspicari, quod nonnulla quae ibi leguntur perinde a geographo traduntur. Utut hoc est, certum est, alios libellos similes, verum accuratiores et descriptiones itinerum per mediam Indiam factorum continentes ab eo fuisse adhibitos, quod nemo negabit, qui eius operi studium diligentius navarit.

Interest inter scriptores rerum Indicarum priores, quos *Macedonicos* appellare liceat, eosque quos secundo loco posui et ab Alexandria, principali tum commerciorum Indicorum, tum scientiae geographicae sede *Alexandrinos* appellarim, potissimum hoc quod priores accuratiorem borealis tantum Indiae notitiam exhibuerunt et de natura terrarum, moribusque incolarum multa memoriae prodiderunt, posteriores contra pleniorem meridionalis Indiae maximeque litorum maritimorum descriptionem in medium protulerunt, adiectis de commerciorum ratione mercibusque Indicis novis permultis, ceteris rebus silentio fere praetermissis. Medium tamen locum tenet quodammodo Plinius, qui etiam ex priorum scriptorum commentariis multa admiscuit de India boreali, in qua adumbranda, si situs locorum tantum spectatur, palmam iterum rettulit geographorum veterum princeps.

Tralata Byzantium imperii Romani sede, mutata est Indicorum commerciorum ratio potissimum eo quod maiorem partem Constantinopolin quam Romam advehebantur merces, ceteris fere non mutatis: nam eodem itinere quo priores maritimo uti perrexere mercatores seriores *), quorum plurimi Alexandrini vel omnino Aegyptiaci fuere; prae ceteris Adulitanorum mentio saepius iniicitur. **) Alios praeter mercatores per tertium hoc temporis spatium homines Graecos Romanosve ad Indos ventitasse non invenio. Constat, solam quae ex hoc aevo aetatem tulit Taprobanes descriptionem veterem, a mercatore esse profectam, Cosma qui dici solet Indopleusta, sive, ut verius dicamus, a Sopatro mercatore, qui insulam ipse inviserat et accuratam eius descriptionem cum Cosma communicaverat. ***) Tertium hoc rerum de Taprobane traditarum genus ad Byzantinam aetatem quum iam pertineat, *Byzantinum* dicamus.

In illustrandis eis quae a veteribus de Taprobane memoriae tradita sunt, ita versabor ut, praemissa disputatione de nominibus, quae diversissima tum a veteribus scriptoribus, tum ab Indis diversis temporibus usurpata sunt, primum descriptionem adumbrem insulae generalem, quali ad illustrandos veterum locos opus sit; singulis

*) Non defuisse tamen, qui terrestri itinere merces ex India apportarent, apparet ex Procopii bello Persico II. 25. I. p. 263. Bonn. Idem iam prius factum esse constat.

**) cf. Cosmae Indopl. topograph. Christ. ed. Montefalcon. XI. p. 338. Aliud testimonium de Adule Indicae mercaturae sede exstat apud Procop. l. l. I. 20. Vol. I. p. 105.

***) Topogr. Chr. XI. p. 338. *Ταῦτα ὁ Σώπατρος ἡμῖν διηγήσατο, καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ ὄντες ἐν τῇ νήσῳ ἐκείνῃ ἀπὸ Ἀδούλης ἐπελθόντες.*

tum capitibus enarrabo quae a quovis scriptorum Graecorum Romanorumque genere tradita sunt; ac primum quidem ea quae in Strabonis geographia et priori loci Pliniani parte leguntur, quo capite de Eratosthenis et Hipparchi opinionibus etiam disputandum erit; deinde ea quae posteriori loco Plinius in medium protulit, addita enarratione earum rerum, quae in periplo maris Erythraei mentionem habent; postremis duobus capitibus locos Ptolemaei et Cosmae illustrabo.

§. 2. De nominibus insulae Taprobanes.

Taprobanes nomen ab Onesicrito primum fuisse traditum, docent loci Strabonis Pliniique iam laudati; a Megasthene haud dubie fuit repetitum, forsitan etiam a Deimacho, quandoquidem quae de Taprobane disputavere Eratosthenes et Hipparchus, ex horum libris omnino hausta fuerunt *); nomen incolarum addiderat Seleuci legatus: »Megasthenes, ait Plinius **), flumine dividi, incolasque Palaeogonos appellari (scripsit.)«

Nomen quum ex India ad Graecos allatum sit, consequitur, ut Alexandri Magni aetate eo usi sint Indi ipsi, eiusque origo in India sit quaerenda. Quae res tam certa est, ut mirari liceat quod haud unus virorum doctorum, qui in eius explicatione periculum fecerint, a linguis non Indicis id repetendum esse opinatus sit; neque qui Indicam originationem quaesiverunt, rectam viam ingressi sunt, praeter solum Burnoufium meum, qui non tantum verum nomen indicavit, sed primus etiam demonstravit, insulam eo significari in libris Palica lingua conscriptis, qua ad sacram doctrinam litteris tradendam utuntur quum aliae nationes Buddhisticae tum praecipue Taprobanenses, edita dissertatione de nominibus Taprobanes nonnullis, qua tam docte et gnaviter, uti solet, rem pertractavit, ut nullam omnino disputationi nostrae messem reliquisset, si omnibus quae nunc praesto sunt, adiumentis inquisitionis uti potuisset. ***) A ceteris V. V. D. D. facta quae sunt explicationis pericula quum ad bonam frugem neutiquam ducant, eorum mentionem ad infimam paginam †) reiiciam, ab eisque incipiam sermonem, quae stabilivit Burnoufius.

---

*) Vid. Strabon. II. 1. p. 184. p. 194. p. 202. etc. Sieb. **) VI. XXIV.

***) *Mémoire sur quelques noms de l'île de Ceylon, et particulièrement sur celui de Taprobane, sous lequel elle était connue des anciens*, in *Journal Asiatique* VIII. p. 129. seqq.

†) Agmen ducat Bochart, qui *Can.* I. 46. p. 692. Opp. ed. Lugd. Bat. 1692. fol. coniectavit, nomen Taprobanes deflexum fuisse e *Taph-Parvan* i. e. ora regionis *Parvajim*, quam ab Ophiro secundo sive Indico non diversam esse contendit „Veri simile est, ait, Phoenices Syra terminatione hanc insulam vocasse פרון, *parvan*, et oram ad quam appellebant, טַף־פרון, *Taph-parvan* vel *Taph-provan*, ἀκτὴν τοῦ Παρουὰν vel τοῦ Προβὰν, unde facta sit vox Taprobane.“ At veri minime est simile,

Insula itaque quae Brahmanis plerumque *Lankâ,* nobis *Ceylon* audit, in libris Palicis nomine *Tâmbapannaja-dîpa* sive insula *Tâmbapanna* designatur; nam *dîpa,* pro *dvîpa,* insulam notat et *ja* syllaba est adventicia. *) Forma vere Palica est *Tâmbapanni,* quae in libris in ipsa insula conscriptis usurpatur **); eodem nomine dicebatur locus, quo ad insulam primum appulisse credebatur Vig'ajas, rex eius primus, in vicinia urbis quae hodie *Putlam* nominatur et in litore occidentali sita est. Derivant indigenae vocabulum a *tâmba,* Sanscritice *tâmra* ***), ruber, et *pân'i,* manus, ad quam explicationem confirmandam fabulam excogitaverunt, quam longius refutare non operae pretium est, quia regulae linguae grammaticae refragantur parsque vocabuli altera non *pân'i,* manus, est, sed *pan'n'î,* quod Sanscritice audire debet *parn'î,* femininum vocabuli *parn'a,* folium. †)

Tâmraparn'î, quae est forma nominis Sanscritica, praeter oram insulae Taprobanes occidentalem totamque insulam, etiam regionem Indiae obiacentis vel hodie significat, fluviumque eiusdem terrae, qui ex montibus Ghatentibus maxime meridionalibus profluit et provinciam Tinevellin emensus mari infunditur. Cuius rei documenta in margine paginae enotavi. ††)

---

regionem Indicam in ipsa India voce Hebraica sive Phoenicia fuisse appellatam. Wahlius nostras (*Erdbeschreibung von Ostindien* II. 682—683.) explicare molitur per inventum Copticum τα πρη ουον, unde sensum *loci, ubi sol apparet,* extorquet, imposito nimirum nomine a nautis Aegyptiis, Brachmanum notiones geographicas hac appellatione referentibus. Quod nimium est nugarum. Mannertus (*Geogr. der Gr. u. R.* V. 1. p. 285.) opinatus est, nomen nunquam in Taprobane in usu fuisse, significare oblitus, a quonam populo inventum fuerit. Duncanus, Anglus, (Asiat. Res. V. 39.) a *tapu,* insula, et *Râvana,* quem gigantem insulae olim imperitasse fabulantur Indi, id derivandum esse censet, coniunctis tamen non iusto ordine vocabulis, uti recte observavit Burnoufius (l. l. p. 143.); exsulat praeterea a lingua Sanscritica vox *tapu.* Gladwinius, Duncani popularis (*Ayeen Akberi.* III. 36) a *Tapoban,* quod rectius *tapôvana* scribitur, i. e. silva observantiae religiosae, repetit; quod vocabulum Sanscriticum sane est, at nunquam ab Indis ad Taprobanen relatum. Bohlenius nostras (*Altes Indien* I. 27. laudato diario litterario *Quarterly Review.* 1816. Mart. p. 11.) a Sanscritico *Tâmraparna,* Palico *Tâmbapannaja* (quae forma potius Cingalensis est) repetit atque ita ab indigenis dictam fuisse insulam dicit; ac recte hoc quidem, sed falso nomen interpretatus est, quum contendat, eo significari folium piperis *Betel;* haec enim arbor eiusque folia *tâmbûla* dicuntur, *tâmra,* ruber, contra de genere quodam Santali coloris rubicundi usurpatur. Alia quaedam praebet Vincens ad peripl. II. 493.

*) Burnouf. l. l. p. 147. **) Vid. *Mahâvança* ed. Turnour. 1 p 50. et ind p. 25.

***) Vid. institt. linguae Pracritic. p. 246.

†) Locus *Mahâvançae* hic est cap. VII. p. 56. तेन तं कारनेनेव काननं ताम्बपन्निति। लङ्काभिधेयं तेनेव लक्खितं दीपं उत्तमं॥ „Ob hanc caussam (i. e. a manibus regis Vig'ajae sociorumque itinere defessorum in terramque proiectorum humo rubicunda illitis) dicta est silva illa *Tâmbapanni;* perinde insula optima." Eiusdem nominis urbem a rege Vig'aja in hisce locis conditam fuisse, traditur. l. l. p. 53. —

††) Fluvius enumeratur inter Indicos in *Vishn'u-Purân'a* interpret. Anglic. viri clarissimi Wilsonis p. 176. Memoratur *Raghu Vança* IV. 50. piscatio margaritarum ad eius ostia facta, quae olim fiebat hodieque

Duae itaque regiones inter se proximae et angusto tantummodo maris freto seiunctae eadem appellatione insignitae sunt; quo fit, ut vix nequeamus, quin coniiciamus eam ex una in alteram fuisse tralatam. Ad vicinitatem locorum accedunt etiam aliae rationes; quarum prima haec est, quod necessitudinem intercessisse intimam inter incolas Taprobanes vetustissimos, Indosque terrae continentis oppositae, magna veritatis specie tradunt annales Taprobanenses, in matrimonium ductis a rege Vig'aja eiusque sociis filia regis Pândavae nobilibusque Madhurensium puellis *); connubia autem quibus gentibus Indicis mutua sint, eae arctissimo affinitatis vinculo coniunctae esse solent. Quae res in altera quam afferam communis originis ratione luculenter cernitur; affinis enim est lingua Cingalensis sive Taprobanensis eis, quae per Indiam meridionalem obtinent **) quarumque ex numero est Tamulica, qua utuntur incolae regionis Madhurensis. Hinc admodum probabilis coniectura oritur, ex India meridionali oriundos esse incolas Taprobanes, qui proprio nomine Cingalenses hodie appellantur, satisque veri fit simile, nomen Tâmraparn'î ex ora Indiae proxima in insulam fuisse translatum, eiusque litori obiacenti primum impositum; quod re vera tradi ab indigenis invenimus.

Reiecta itaque ista indigenarum de origine nominis fabula, demonstrataque vetusta atque sincera vocabuli Tâmraparn'î forma frequentique eius in libris incolarum usu, in hac coniectura denique consistendum nobis esse decrevimus, ex India in insulam advectam fuisse appellationem.

Rationem appellationis enarrare si aggredimur, ea satis difficilis est inventu. De similitudine figurae quae insulae sit cum folio arboris cuiusdam qui cogitaverint, recordari debebant, regionis mediterraneae Tinevelli nullam eiusmodi generis esse posse similitudinem. *Tâmra* etiam sensu substantivi *cuprum* notat, at cupri folia quum sint nulla, abiicienda erit coniectura ab hac significatione petita. A colore foliorum Santali rubri dictam insulam Indiamque meridionalem qui asserere vellet, argumentum sententiae ex eo adducere posset, quod montes Ghatenses sub quorum radicibus extenditur regio Madhurensis, arborum Santalorum feracissimi sint; insula feratue, incertum tamen est, neque omnino liquet inter viros rei arboreae Indicae

---

fit. Eodem vocabulo appellari regionem circumiacentem, docet v. cl. Wilso lexic. s. v. -*Tâmravarn'a*, cuius mentio iniecta est *Vishn'up*. p. 175. et *Asiat. Res.* VIII. p. 330. aliud est nomen atque ad doctrinam Indorum cosmographicam pertinet; derivanda tamen sunt, ni fallor, et notio et nomen huius terrae Tâmravarn'a a vetusta Taprobanes appellatione. Quod huius loci non est exponere.

*) Mahâv. p. 51. Madhurâ est urbs regionis principalis, Ptolemaeo VII. 1. *Μόδουρα βασίλειον Πανδίονος* dicta. Ad hanc regionem adiacet a meridie regio et fluvius Tâmraparn'î.

**) Rask, *Singalesisk*, *Skriftlaere* p. 1.

peritissimos de rubro Santali genere *), ita ut minime sciatur, utrum ad regiones, de quibus nos sermonem instituimus, pertineat necne, atque prorsus adversatur sententiae supra significatae hoc quod non folia, sed lignum istius Santali generis rubro est colore. Una restat via atque haec quidem. Compositum vocabulum *tâmraparn'î* lacum maiorem notat **); accuratius si inspicitur, significare debet lacum plantis rubris plenum; quo posito nymphaeas rubras primum isto composito indicatas dixeris. Utut hoc est, maxime probabile mihi videtur, a stagnantibus aqua locis, quae foliis plantae cuiusdam aequaticae rubicundis abundent, qualia in vicinia fluviorum facile inveniuntur, derivatam fuisse appellationem geographicam Tâmraparn'î.

Graecum nomen Taprobane ita explicandum est, ut, posita forma vulgari inter Sanscriticam *Támraparn'î* et Palicam *Támbapannî* media *Támbrapannî*, vel inserta pro consuetudine linguae Graecae littera B, e *Támbrapannî* factum sit Tâbrapannî sive Taprobane. Consuetudinem dixi Graecae linguae; simili prorsus modo enim ex *μεσημ(ε)ρία* factum est *μεσημβρία*, alia.

Alexandri magni Seleucidarumque aevo ab Indis ipsis appellatam fuisse insulam nomine Tâmraparn'î, eo certum est, quod id in India in usu invenerunt Graeci. Res praeterea est quae nunc satis idoneis argumentis probari potest. Legitur enim nomen *Támbapanî* in inscriptione Girnarensi, iussu Açôkae, Indorum regis, Sandrocotti nepotis, Antiochi primi aequalis, posita, praemissis hisce Indicarum regionum nominibus: *K'ód'a, Píd'a, Satija, Két'ala.* ***) Quorum quum cetera ad ultimam

---

*) Franciscus Buchanan, posthac Hamilto dictus, in descriptione Indiae orientalis a Montg. Martino edita (*Eastern India* II. 795.) haec prodit: *The native name signifies Red Sandal wood, and its wood is said to be odorous, and it may be used instead of sandal in the worship of all the gods except Vishnu. It is probable that the trees which grow near villages may have no scent, for that is often the case with the real sandal. There seems, however, to be several different trees in India that are called Red Sandal, and my inquiries have not yet been sufficiently extended to enable me to treat the subiect fully.«*

**) cf. Wilsonis lex. s. v.

***) Verba haec sunt; vid. *Asiat. Journal of Bengal.* VII. p. 159. यथा चोडपोडसतियपुतो केटलपुतो आ ताम्बपंणि। Emendandum videtur चोडा, et पोडा, fortasse etiam ताम्बपंणिं; nasalem geminavit Prinsepius. Notum est *Kôd'a* sive *K'ôra*, e quo, addito *mandala*, regio, natum est *Koromandel* hodiernum; regio est ad inferiorem Kavêrin sive Chaberin Ptolemaei sita, Trichinopali, Tang'ore, Kumbhakôna hodierna continens. Cf. Wilsonis praef. ad *Mackensii* Collect. I. p. LXXXII. seqq. Quod sequitur *Píd'a*, contermina est ab aquilone provincia. Vid. *As. Journ.* VII. p 406 *Satijaputa* i. e. filius veritatis, non regionis est nomen, sed titulus regius et Buddhisticus quidem, ut videtur; similiter rex Butanae *dharmarâg'a* sive rex iustitiae hodie appellatur. Situs terrae haud dubie vicinae accuratius nondum definiri potest. *Kêt'ala puta*, sive filius Kêt'alae, titulus iterum regis est a nomine regionis cui imperabat, desumptus. केटल, non केतल, in inscriptione legi debet; ट, *t'*, in lingua vulgari abit in ड, *d'*, quod sono a littera canina non differt; est itaque vocabulum Sanscriticum *Kêrala*, quo appellatur terra Malabarica.

Indiam meridionalem pertineant, vix dubium est, quin ad eam etiam referendum sit postremum; insulam autem ut intelligam Taprobanen, non regionem Tinevellensem, facit consideratio, quod notum est, Açôkae cum rege Taprobanensi amicitiam fuisse intimam, eo misso filio ad religionem Buddhisticam propagandam. Significare praeterea videtur ipsa inscriptio ultimam terram meridiem versus, praefixa nomini postremo praepositione आ, ita ut reddendus sit locus: *usque ad Tâmbapanim.*

Per spatium temporis, quod inter Alexandrum Strabonemque intercedit, in usu fuit nomen Taprobane, vel antiquioris haud dubie originis, at minime antiquissimum; exsulat omnino a vetustissimo carmine epico, Rameide, antiquioribusque Brachmanum libris; quae res satis memorabilis est. Brachmanis insula dicitur *Lankâ,* recentioribus Indis *Sinhala,* de quibus nominibus posthac dicam. A Buddhistis impositam fuisse appellationem vix crediderim, siquidem eorum doctrina Alexandri aetate ad Taprobanen certe nondum propagata fuerat; referunt eam praeterea indigenae ad Vig'ajam, primum regem sive ad initia reipublicae Taprobanensis legitime constitutae. Nomen quum Sanscriticae originis sit, documento est, iam ante Alexandrum deductas fuisse colonias Indorum borealium in ultimas Indiae meridionalis oras; id in India boreali quum didicerint socii Alexandri, consequitur, ut inter extremas Indiae partes commercia mutua iam agerentur.

His ita enarratis ad cetera nomina antequam accedam, explicanda est appellatio, quam teste Plinio Megasthenes incolis attribuerat, quos quum *Palaeogonos* nominari diceret, Graece reddidit vocabulum quoddam Indicum. Res ita videtur posse expediri, ut dicamus, notam fuisse Megastheni fabulam Indorum, qua primi insulae incolae Râxasae sive Gigantes, progenitorum mundi filii, fuisse traduntur. Hos minime inepte Palaeogonorum appellatione significare poterat Megasthenes.

Secundo loco disserendum est de nomine *Simundu* sive *Palaesimundu,* quod post Strabonis aetatem in usum venit, iam autem obsoleverat, quum geographiam suam conderet Ptolemaeus. Ac primum quidem diiudicanda est quaestio satis difficilis, utra nominis forma, brevior longiorve, vera sit censenda.

Vid. *Raghuv.* IV. 55.. *Mahâbh.* I. p. 350. ubi qui praeter Keralas laudantur *Kèrakae*, ab illis diversi non esse videntur. Non tantum regionis huius nomen veteribus innotuit, verum etiam regius titulus in inscriptione positus. Peripl. maris Erythr. p. 30. dicuntur emporia celeberrima, Muziris et Tyndis, esse sub imperio *Ceproboti*, cuius loco rectius Ptolemaeus VII. 1. *Καρουρα, βασίλειον Κηροβόθρου,* scripsit, Plinius denique (hist. nat. VI. XXVI.) *Celebothras.* Quum *bothras* nil aliud esse possit, quam *putra*, filius, *botus* autem forma sit vulgaris, quae in inscriptione *puta* audit, apparet, a Plinio mediam, a Ptolemaeo ultimam prioris vocis syllabam fuisse omissam, titulumque regum Malabariae borealis remansisse *Kêrala putra.* Tota Malabaria saepius Sanscritice Kêrala dicitur, proprie tamen pars est inter *Kuvam* (*Κοῦβα* Ptolemaei) et *Mûshikam.* Cf. Wilso in praef. ad *Mack. collect.* I. p. XCIV.

Ptolemaei verba *) primo intuitu rem extra omnem dubitationem ponere videntur: »*Τῷ δὲ Κῶρυ ἀκρωτηρίῳ τῷ τῆς Ἰνδικῆς, ἀντίκειται τὸ τῆς Ταπροβάνης νήσου ἄκρον, ἥτις ἐκαλεῖτο* πάλαι *Σιμούνδου, νῦν δὲ Σαλικὴ, καὶ οἱ κατέχοντες αὐτὴν κοινῶς Σάλαι.*« Clare enim opposita sibi sunt duo nomina, Salice et Simundu, quorum hoc olim obtinuisse, illud Ptolemaei aetate (*νῦν δέ*) in locum eius successisse traditur; utrumque indigenarum est, Graecisque qui ab Alexandri sociis Taprobanen dicere edocti erant, minus notum; tertium itaque hoc, priorum usu confirmatum, notissimumque, Taprobanen, tanquam veram Graecam appellationem usurpare perrexit Ptolemaeus, licet id in insula ipsa obsoleverit; eandem rationem veteres sequuntur ceteri, Dionysius Periegetes, Mela, Plinius, Cosmas, Orosius, alii.

Accedit ad interpretationem a nobis propositam confirmandam testimonium Stephani Byzantini, qui s. v. Taprobane Ptolemaeum hunc in modum exscripsit: »*Ταπροβάνη, νῆσος μεγίστη ἐν τῇ Ἰνδικῇ θαλάσσῃ· — — ἣ* πάλαι μὲν *ἐκαλεῖτο Σιμούνδου,* νῦν *δὲ Σαλικὴ, κ. τ. λ.*« Ex quibus verbis coniicere posses, in vetustis Ptolemaei exemplaribus exstitisse *μὲν* illud, quo quaevis dubitationis umbra dispellitur.

Hisce ita expositis certissima res esse videtur, nomen Taprobanes aliud fuisse *Simundu.* Verumtamen in prorsus contrariam sententiam nos cogit alius geographus, atque is fidissimus quidem Ptolemaei, quem *θειοτάτον καὶ σοφωτάτον* appellat, assectator, Marcianus Heracleotes. **) Is enim hunc in modum Ptolemaei verba iteravit: »*Τῷ ἀκρωτηρίῳ τῆς Ἰνδικῆς τῷ καλουμένῳ Κῶρυ ἀντίκειται τὸ τῆς Ταπροβάνης νήσου ἀκρωτήριον τὸ καλούμενον Βόρειον· ἡ δὲ Ταπροβάνη νῆσος* πρότερον μὲν *ἐκαλεῖτο* Παλαισιμούνδου, νῦν *δὲ Σαλική.*« ***)

Prorsus manifesta quum sit sententia Marciani, ceteraque congruant, in solo hoc cardine tota versatur quaestio, utrum recte ab eo in unius nominis speciem coniuncta fuerint vocabula *πάλαι* et *Σιμούνδου*, inserto ut prorsus planum redderet sensum, adverbio *πρότερον*, necne; insertum ab Heracleota fuisse *πρότερον* ideo dixeris, quod a Stephani excerptis aeque absit atque ab apographis nostris Ptolemaei; neque ita in hac disputatione agere nobis licet, ut ponamus verba *πρότερον μὲν* in codice quodam Ptolemaei reperta esse a Marciano. Ita enim agentes pror-

*) VII. 4. **) Peripl. ed. Huds. p. 2.

***) l. l. p. 26. Duobus aliis locis idem affirmat; p. 9. *Πρώτη μὲν ἡ Ταπροβάνη νῆσος ἡ Παλαισιμούνδου καλουμένη πρότερον, νῦν δὲ Σαλική*; p. 2. ubi corruptelam quandam verba contraxere: *Τῆς τε Ταπροβάνης καλουμένης, τῆς Παλλιγεμούνδου λεγομένης πρότερον, κ. τ. λ.* Emendandum esse *Παλλισιμούνδου*, certum est; omissa praeterea videri possit mentio nominis Salices, nisi credere mavis, ex periplo maris Erythraei hausta esse haec verba.

sus in circulo nos circumferri apparet. Proficiscundum itaque nobis est a verbis Ptolemaei qualia vulgo edita leguntur: in quibus si Παλαισιμούνδου scribitur, desiderari aliquid videtur, quo clarius significetur ἀντίθεσις quae inter ἐκαλεῖτο et νῦν δὲ intercedere debet atque adest, si aut cum Stephano πάλαι μὲν scribimus, aut ne recepta quidem hac coniectura, si πάλαι a Σιμούνδου seiungimus; quo facto πάλαι et νῦν δὲ sibi opponuntur. Verba itaque Ptolemaei si intacta tuemur, non nequimus quin Marciani interpretationem reiiciamus.

Levioris momenti hoc est, quod πάλαι vix pars nominis esse possit Indici; potest enim πάλαι ex simili vocabulo Indico ad Graecae vocis formam fuisse accommodatum, cuiusmodi rei exempla multa adsunt.

His ita enarratis patefactum est, opposita sibi esse Ptolemaei Stephanique testimonia de nomine Simundu sive Palaesimundu atque Marciani, neque adesse argumenta evidentia, quibus alterutrum plane refellatur. Quae quum ita sint, non mirari nos decet, si viri docti recentiores in contrarias sententias abierunt, quas mox recensebo. Nihilo tamen minus reor, nullum omnino dubitationi relinqui oportuisse locum, si ab aequis iudicibus interrogati fuissent ceteri huius rei testes.

Nimirum in periplo maris Erythraei *) haec leguntur: Περὶ δὲ τῶν μετ' αὐτὴν χωρῶν ἤδε πρὸς ἀνατολὴν τοῦ πλοὸς ἀπονεύοντος, εἰς πέλαγος ἔκκειται πρὸς αὐτὴν τὴν δύσιν νῆσος λεγομένη Παλαισιμούνδου, παρὰ δὲ ἀρχαίοις αὐτόθεν Ταπροβάνη. Coniunxi in unum vocabulum verba Παλαισιμούνδου, quia prorsus manifestum est testimonium scriptoris, quo tempore is in Taprobane ageret, dictam fuisse insulam Palaesimundu, olim autem Taprobane nomine; adiecto αὐτόθεν significatur, ab indigenis etiam olim, non solummodo a Graecis, usurpatam fuisse appellationem. Verba πάλαι et Σιμούνδου seiungere qui decreverint, **) meminissent oportebat, tum duo vetera nomina proferri, nullumque quod scriptoris aetate obtineret. Accedit quod Plinius itidem nomen Palaesimundu, non Simundu esse, a legatis Taprobanensibus, qui id urbi regiae, non insulae toti attribuerunt, compertum habuit. ***) —

Ab utroque hoc loco, Plinii dico atque peripli, quum prorsus absit dubitatio, utrum nomen Palaesimundu sit, an Simundu, totam disputationem hunc in modum absolvendam esse persuasum mihi est. Nomen vetustissimum apud indigenas Tapro-

*) ed. Huds. p. 34.

**) Verba iunxit Hudso, seiuncta exhibet editio Basileensis, iuncturam praeferendam esse vidit Salmasius. exercitt. Plin. c. 53. init. Sic etiam Vincke. p. 114. De ceteris infra dicam.

***) VI. XXIV.

bane fuit, uti docent praeter peripli auctorem scriptores rerum Macedonicarum; hoc semper uti perrexere etiam geographi veteres. In eius locum successit aetate quae Strabonis mortem proxime secuta est, novum nomen Palaesimundu aut insulae totius aut urbis regiae, quod viguit usque ad aevum Ptolemaeo paullo superius, quo tertium denique Salicen in usum venisse, ipse primus docet geographus Alexandrinus.

His ita positis, probabilius videbitur, in apographis Ptolemaeeae geographiae vetustis quondam scripturam eandem, quam praebet Marcianus, *ἥτις πρότερον μὲν ἐκαλεῖτο Παλαισιμούνδου*, exstitisse.

Sicuti variae fuere virorum doctorum de vera nominis Palaesimundu forma sententiae, ita diversae etiam magis sunt opiniones de ratione, qua id debeat explicari. De utraque re quid ab aliis iudicatum fuerit, in margine paginae recensui. *) Meam sententiam antequam exponam, praemittenda sunt quaedam de loco Pliniano, cuius mentionem modo inieci. Verba haec sunt: **) »Ex iis (legatis regis Taprobanes ad Claudium imperatorem) cognitum, D. esse oppida, portum contra meridiem, oppositum oppido *Palaesimundu,* omnium ibi clarissimo, et regia CC. mill. plebis. Stagnum intus Megisba, CCCCLXXV. mill. pass. ambitu, insulas pabuli tantum fertiles complexum. Ex eo duos amnes erumpere: Palaesimundum, iuxta oppidum eiusdem

---

*) Dodwellius (dissertat. de geographis minorr. Hudsonis editioni praemissa p. 95.) duas eruisse insulas sibi visus est, unam Taprobanen, alteram Palaesimundu, quam ad ostia fluvii Nanagunae collocat, evidenti errore et prorsus absurdo. Duo eiusdem insulae esse haec nomina, perspexit Wahlius (*Erdbeschreibung von Ostind.* II. p. 684.), quas autem proponit explicationes, parum habent probabilitatis; ex. gr. a *Palli*, templum, quum vicum, urbemque notet, vel a *pâla*, tutor, rex, ut taceam voces, quales sunt *pâleia*, castra, *pâlan*, pons, aliaeque non Sanscriticae; *Simundu* aut a *sîma* (*sîman*) limes, finis, repetendum opinatur, aut legendum esse Σιλούνδου pro Σιλάνδου, ut idem sit nomen atque hodiernum *Silan* sive *Ceylan*. Hanc coniecturam praeoccupavit iam Renaudot (Anciennes relat. des Indes. p. 133.), iteravit Malte-Brun (Précis de geogr. IV, 113.). In universum omnia ista tentamina contra grammaticam eo peccant, quod, si templum sive castra insulae Simundu vel simile quid ex vocabulo Palaesimundu eruendum esse censetur, inverso ordine sese excipere debent vocabula *palae* et *Simundu*. Vocabulum esse Palaesimundu, recte intellexit Mannertus (*Geogr. der Gr. u. R.* V. 1. p. 210.), explicandumque arbitratur ex *pulo*, insula, et *simundu*, i. e. insula Simundu; at Malaica est vox *pulo* atque ab Indico nomine abhorret. Wilfordus (*As. Res.* X. 148.) Palaesimundu nomen ad Sumatram refert, suo periculo. Pater Paullinus *a S. Barth.* (*Voyage aux Indes* II. p. 482.) a Sanscritico *Paraçrimandala* i. e. regio summae felicitatis derivat, haud nimis male, at nullo in libro insulam ita dici indagavimus. Burnoufius meus praeferre videtur formam Simundu, nulla tentata explicatione. l. l. p. 138. Heerenius denique in dissertatione *de Ceylone insula per XX fere saecula communi terrarum mariumque australium emporio*, inserta commentt. Soc. Reg. Gotting. recentt. Vol. VII. cl. hist. p. 19. p. 32. seqq. dicit: „boreali fluminis (Gange) ostio adiacet *Pontjemolli* oppidum, quod facile apud Graecos in Palaesimundum abire potuisse, nemo non videt.“ Videbit, credo, nemo et quod vel maioris est momenti, in ista parte insulae omnino non sita erat urbs Palaesimundu.

**) VI. XXIV.

nominis, influentem in portum tribus alveis, quinque stadiorum arctissimo, XV amplissimo; alterum ad septentriones Indiamque versum, *Cydara* nomine.«

Reiecta ad calcem huius capitis, ne nimis longe a recta disputationis via digrediar, uberiori loci huius explicatione, summam orationis tantummodo hic ponam. Fluvius *Cydara* est, qui in annalibus Taprobanensibus *Kundara*, superiorique cursu *Kadamba* dicitur, hodie *Aripo* sive *Malwattu Oya;* alter qui tribus alveis in portum influere traditur, is esse videtur, qui hodie *Marchikati* nominatur et ex vicinia stagni a Plinio memorati profluens mare prope portum *Kudremalai* attingit. De qua re amplius infra disputabo. Stagnum immensi ambitus adhuc exstat, ab antiquis insulae regibus irrigandorum agrorum caussa exstructum, indigenis *Kâlavâpi* dictum, ex quo quod dicitur erumpere amnes duos, ita intelligi debet, ut canalibus in amnes deductae fuerint stagni aquae. Ei vicina est a Borea metropolis insulae antiqua, cuius ruinas stupendas hodie admirantur viatores Europaei, indigenis *Anurâdhapura* sive *Anurâdhagrâma*, urbs sive vicus Anurâdha, Ptolemaeo Ἀνουρίγραμμον dicta; *) ab ea diversam qui credidit urbem Palaesimundu, quam in vicinia oppidi *Jaffnapatnam* sitam suspicatus est, nulla in medium profert argumenta Mannertus **) nec possunt afferri. Nec feliciori successu ad Trincomalin situm urbis Palaesimundu refert Heerenius. ***) Nulla omnino alia inde ab anno CCLXVII. ante Chr. n. usque ad DCCLXIX. A. D. sedes fuit regum insulae vera ac urbs tantae magnitudinis, quam Anurâdha, ut testantur annales Taprobanenses. †) Hinc consequitur, ut nomen Palaesimundu apud Plinium nil aliud sit, quam appellatio certo quodam tempore urbi Anurâdhae attributa, qua si etiam fluvius nominari traditur, id minus accurate dictum crediderim. Eodem autem nomine insignitam fuisse et urbem principalem et totam insulam, res est quae etiam in nominibus Tâmraparn'î et Lankâ cernitur.

Nomen Palaesimundu explicare si aggredimur, id primo teneri debet, conflatum esse e duobus vocabulis, *palae* et *simundu;* quod probat appellatio promontorii Taprobanensis Ἀνδρασιμούνδου, ††) ad extremam insulam Calpentyn recte a Mannerto †††) relati: unde apparet, id prope ab ostiis fluvii Palaesimundu abesse. Andra vox est Indica *Andhra,* qua significatur gens alias *Trilinga,* vulgariterque *Telugu* et *Telinga* dicta, Plinio *Andara,* ††††) tum terram mediterraneam incolens, tum oram maritimam; haec proprio nomine *Kalinga* olim dicebatur ab eaque navigationes in

*) Geogr. VII. 4. alio loco rectius Ἀνουρόγραμμον.

**) Geogr. d. Gr. u. R. V. 1. p. 206.

***) In dissert. supra p. 12. laud.

†) cf. *Mahâv.* tab. Chronolog. introd. p. LXI.

††) Ptolem. geogr. VII. 4. Interpretes minus recte: *Anarismondi* et *Andrasimodni.*

†††) l. l. p. 211.

††††) VI. XXII. Validior inde gens *Andarae, etc.*

Taprobanen fieri solebant. *) Prorsus itaque veri simile erit, si promontorio in vicinia portuum insulae maxime frequentatorum ab Andhris inditum fuisse nomen dixerimus. Quo posito, *simundu* nil aliud esse potest quam *sîmanta*, caput. **)

Evidenti hacce ut mihi quidem videtur explicatione fretus ad nomen Palaesimundu enarrandum accedo, cuius alteram partem capitis mentionem ideo continere probabile videbitur, quia urbs fuit insulae caput. Priorem partem *palae* ad Graecae vocis similitudinem paululum a genuina forma fuisse deflexam, supra iam conieci, latetque fortasse vestigium verioris formae in scriptura Παλλι-σιμούνδου ex periplo Marciani supra prolata. At hoc levioris est momenti, atque multo magis disputationis nostrae interest inquirere, an nomen quoddam quod cum Palaesimundu comparari possit, aut de metropoli aut de tota insula in libris Indicis Taprobanensibusve unquam usurpatum sit. Cuius rei vestigium quidem indagavi, ei tamen insistendum esse omnino nego. Est in commentis Buddhistarum, ultimum doctrinae eorum antistitem aeque ac tres eo priores insulam Taprobanen adiisse, diversisque nominibus nuncupasse, quorum quod penultimum est, *Manda*, ***) haud magnopere abhorret a vocabulo *simundu*, si praefigitur, ut in nominibus sacris fieri solet, syllaba *çrî*, Palice *sirî*, felicitas. Verum enim vero quum magis quam Sîmanta discrepet *Çrîman'd'a* sive *Sirîmanda* a Simundu, nomenque Palaesimundu sit, non Simundu, neque arrepto vocabulo Çrîman'd'a, i. e. felix caput sive ornamentum, melius ratio reddatur partis prioris *palae*, revertendum satius censui ad vocem Sîmanta, quam in nominibus Taprobanensibus geographicis usurpari iam vidimus. Accedit quod nomen *Manda* et quae eo antiquiora traduntur, nunquam in ore hominum fuisse credenda sunt atque ad tempora prorsus fabulosa in ipsis Buddhistarum scriptis referuntur.

Vocabuli *palae* explicatio si quaeritur, primum nos meminisse oportet, Palaesimundu nomen ea aetate in usum venisse, qua non longo ante tempore fidem

---

*) Aelian. hist. animm. XXVI. 18. postquam dixit, multos gigni in Taprobane elephantos, pergit: *Κομίζουσί τε αὐτοὺς εἰς τὴν ἀντιπέραν ἤπειρον, ναῦς μεγάλας τεκτηνάμενοι (ἔχει γὰρ δὴ καὶ δάση ἡ νῆσος), πιπράσκουσί τε διαπλεύσαντες τῷ βασιλεῖ τῷ ἐν Κωλιγκαις.*

**) Wilsonis lex. s. v. सीमन्त m. n. (-तः, -तं) the *head*.

***) cf. *Mahâvançae* p. 88. seqq. Nomina haec sunt: *Og'adîpa* (i. e. *Og'ôdvîpa*) insula splendoris, a Kakusandha inditum fuisse traditur p. 88; *Varadîpa* (i. e. *Varadvîpa*), insula desideriorum sive donorum divinorum, a Kôn'âgamana p. 91.; *Mandadîpa* (i. e. *Man'd'advîpa*) insula ornamentorum sive capitis, a Kâçjapa p. 93. A quarto *Çakjamuni* sive Gotama qui ter insulam adiisse dicitur p. 96. quod profectum sit, significatum non invenio, at nullus dubito, quin id Lankâ fuerit. De vera nominum priorum Buddharum forma parum constat; varietates praebent: Wilso *As. Res.* XVII. p. 250. Colebrookius *Essays*. II. 206. *Asiat. Res.* VII. p. p. 32. et 414. *Asiat. Journ. of B.* V. 321. VII. 789. *Mahâv.* introd. p. XXXIII.

Buddhisticam amplexa fuisset pars insulae magna; *palae* itaque a *pâli* repeto, Sanscritico quidem et Brachmanis noto vocabulo, at Buddhae asseclis longe usitatiori atque solenni. Notat id ab origine *limitem, terminum, finem,* atque amplificato apud Buddhistas sensu, *regulam doctrinae sacrae, contextum traditionum legumque sacrarum.* *) Quarum significationum exempla infra exhibui. **) *Palaesimundu* itaque ita explicari posse videtur, ut sit *Pâlisîmanta,* sive *caput legis sacrae,* id est caput religionis Buddhisticae in insula Taprobane, relato ad urbem regiam nomine, uti factum vidimus a legatis Taprobanensibus. Quae explicatio plus probabilitatis habebit, si scitur, in ista urbe locisque vicinis exstitisse res permultas, summa religione a sectatoribus Buddhae cultas, quarum mentio saepissime iniicitur in annalibus

*) Definit TURNOURUS introd. ad *Mahâv.* p. XII. PÂLI signifies *original, text, regularity,* invertit tamen ordinem significationum iustum.

**) *Mahâv.* cap. XXXVII sub fin. p. 251. तेन हि त्वं सकं वादं थेरेहि च चोदितो। पालिमहाभिधम्मस्स अत्थं अस्स न सोधिया॥ i. e. „Ab illo deinde hisce verbis interpellatus, in medium profer tui ipsius sermonem, non resolvit sensum magnae legis (*abhidharma*), quae regula est religionis (*pâli*).“ *Abhidharma* titulus est partis librorum sacrorum. Eodem sensu usurpatur in inscriptionibus Açôkae medio fere saeculo tertio ante Chr. n. positis; cf. *As. Journ. of B.* VI. p. 602. in quo loco exscribendo saepenumero emendare debui quantitatem vocalium. यतायपा (sic male lecto vocabulo pro महामाता, nisi fallor) पि बहुनि जनसिं आयता। एते पालियो वदिसन्ति पि पविठ (sic) लपन्ति पि। राजका पि बहुकेसु पान (lege नि) सतसहसेसु आयता। ते पि मे आपापिता। हेवं च हेवं च पालियो वदथ जनं धम्मयुतं॥ i. e. „homines pii multo populo praepositi sunt, hi regulas sacras (*pâlijô*) promulgabunt et stabilient, (postrema vox dubia est); etiam reges multis hominum centenis millibus imperitant; hi a me iussi sunt: Hunc in modum regulas sacras declaratote populo iustam doctrinam amplexo;“ *pâlijo* hoc loco sunt *decreta religionis,* definitiones quasi doctrinae. Refertur deinde vocabulum ad contextum ipsissimorum verborum sacrorum, cui opponitur enarratio sive commentarius. *Mahâv.* p. 251.: पालिमत्तं इधानीतं। नत्थि अत्थकथा इध। i. e. „contextus librorum sacrorum (*pâli*) solus huc allatus est, non adest enarratio sensus.“ *atthakathâ* index est commentarii in libros sacros. Vid. *Zeitschrift für die K. des M.* III. 158. *As. Journ. of B.* VI. 506. — Tum *Mahâv.* p. 252. थेरवादेहि पालीहि पदेहि व्यञ्जनेहि च। अपपायत्था नाहुनेव पोत्थकेसु पि तीसु पि॥ i. e. „in sermonibus magistrorum, in decretis (*pâlihi*), in vocabulis, immo in singulis litteris per tres istos libros nil omnino diversitatis cernebatur.“ Per versus reddidit Turnourus *padêhi,* quasi *pâdêhi* scriptum esset, at omnino non de numero agitur. Locus denique hic est l. l. p. 253. थेरिआचारिया सब्बे पालिं विय तं अग्गहुं। i. e. „magistri et praeceptores omnes hunc loco libri sacri primoris receperunt.“ A qua significatione vocabuli *pâli* facili transitu denique ea oritur, qua notat *ipsam linguam* qua scripti sunt libri sacri apud Buddhistas regionum meridionalium, hanc enim *Pâli* nominari constat. Cuius rei documento quod exemplum addo, mecum communicavit discipulus diligentissimus SPIEGELIUS ex eodem *Mahâv.* Cap. XXXIII. p. 207. पिटकत्तयपालिं च तस्सा अत्थकथं च तं। मुखपाठेन आनेसुं पुब्बे भिक्खू महामती॥ i. e. „Contextum tripartitae collectionis sacrae archetypum, eiusque enarrationem via traditionis memorialis attulere sacerdotes veteres magnae intelligentiae.“ *Pâlice* conscripta est tergemina ista collectio, enarratio autem lingua Cingalensi.

Taprobanensibus; ab urbe principali in totam insulam extendi potuisse nomen, facile concesseris, modo certa esset explicatio a me proposita; monendi enim sunt lectores, remanere coniecturam, dum exemplis ex libris indigenarum petitis monstratum sit, vocabulum *Pâlisîmanta* olim re vera in usu fuisse.

Multo brevius expediri possunt cetera nomina, inter quae *Σαλική* procul dubio Graeco more derivatum est a nomine incolarum, qui *Σάλαι κοινῶς* Ptolemaeo dicuntur. *Sâla* ad nil aliud spectare potest, quam appellationem indigenarum *Sinhala*, cuius forma Palica *Sîhala* saepissime utitur historicus Taprobanensis; *) utuntur etiam scriptores Indici libris Sanscritice conscriptis satisque vetustis, ut Bhâratea aut partibus quibusdam Bhârateae recentioribus, **) abest contra vocabulum a vetustiori poemate Rameide et serioris omnino originis est quam Lankâ. Nil aliud esse *Σαλα* quam *Σιελε* Cosmae, certum reor, licet accuratius sane *Σιαλα* scripsisse Ptolemaeus; nam inde ab eius aetate nullum aliud nomen quam *Sinhala* in ore indigenarum vere fuisse invenimus; recte itaque dixit Mannertus, ***) latere in nomine *Σάλαι* hodiernum *Selan*. Testes sunt viatores Sinenses *Fahian*, ****) qui anno p. Chr. n. CCCCXII. in Taprobane agebat, et *Hiuan Thsang* †) qui duobus saeculis post iter confecit Indicum. Aeque testificatur Cosmas, qui omnino recte ait: ††) *αὕτη ἐστιν ἡ νῆσος ἡ μεγάλη ἐν τῷ ὠκεανῷ, ἐν τῷ Ἰνδικῷ πελάγει κειμένη· παρὰ μὲν Ἰνδοῖς καλουμένη Σιελεδίβα, παρὰ δὲ Ἕλλησι Ταπροβάνη.* Quae forma prorsus Palicam *Sîhaladîpa*, insula Sîhala, refert. Res tam clara et certa est, ut mentione haud digna sint, quae prorsus irrita etiam hoc in nomine conamina molitus est Wahlius nostras. †††) Levi mutatione, qualis in linguis Indiae meridionalis saepissime in litteris R et L locum habet, *Serendivum* iam antea insulam dixerat Ammianus Marcellinus. ††††) Ex hisce duabus formis, *Siele* sive *Seren*, adiecto vel omisso vocabulo

---

*) cf. *Mahâv.* cap. VII. p. 50. etc.

**) Exempla sunt *Hitôpad.* p 63, 10. *Râg'a Tar.* I. 294. 297. cf. annot. viri cl. Troyeri p. 389. *Ratnâv.* p. 4. In *Bhar.* III. 51. 1989. Vol. I. p. 479. ut alios locos taceam, legitur versus: सिंहलान् बर्बरान् म्लेच्छान् ये च लङ्कानिवासिनः। Distinguitur itaque Sinhala aeque atque Tâmraparn'a, a Lankâ, vid. supra p. 7. Idem fit *Vishnup.* p. 175. not. 3. Ratio eadem est, translatio nimirum situs insulae Lankae in partes magis orientales. Ita factum est, ut ex tribus unius insulae nominibus diversis tres insulas sibi finxerint Brachmanae, geographiae accuratae parum studiosi.

***) l. l. p. 210.

****) *Foe koue ki.* introd. p. XLI. cf. p 328. annot. p. 336.

†) ibid p. 391.

††) Topogr. Chr. XI. ed. Montef. p. 336.

†††) *Erdbesch. von Ostind.* II. p 685. a *Salâbha*, quod nomen fuisse insulae hallucinatur, repetit, p. 683. a *Salmala*, quod cum Taprobane nil omnino habet commune.

††††) XXII. 7. fin. „hinc Transtigritanis pacem obsecrantibus et Armeniis, inde nationibus Indicis certatim cum

dípa sive *díba*, insula, prodiere omnes nominis variationes, quae posthac tum in libris Arabicis cernuntur, tum apud populos Europaeos in usum venere, *Serendib*, *Sarandib*, *Zeilan*, *Ceylon*, aliae quae h. l. nos morari non debent.

Sinhala nomen quum adhuc perduret, ceteris omnibus abrogatis, dignum est quod paullo accuratius explicetur. Significat *domicilium leonum* *) atque omnino reiiciendum est commentum indigenarum, qui tradunt, ita dictam fuisse insulam a primi regis Vig'ajae cognomine *sinhala* sive *λεοντοφόνος*, falsa posita vocabuli originatione. **) Leones autem quum nulli in insula sint, certum est non a veris leonibus repetendum esse nomen, sed a titulo hominum ordinis militaris, qui in leonum appellatione gloriantur, quorumque colonia quaedam ob ipsum illud nomen insula Taprobane quondam potita esse credenda est. Quae res praeterea satis clare indicatur narrationibus istis, quae de Vig'aja primo rege eiusque sociis in annalibus Taprobanensibus proditae sunt. ***) *Vig'aja* victoriam significat, ita ut suspicari liceat, ex victoria, qua parta milites insulam occupaverint, factum esse regis nomen ipsumque regem; alia tamen in ista narratione speciem aut veritatis aut satis probabilis traditionis praebent, ut haec, parvum fuisse numerum advenarum, ccc, eosque quum sine uxoribus advenissent, duxisse puellas ex regione Madhura Indiae continentis oriundas, denique partem tantum quandam insulae primum ab eis fuisse occupatam, †) relictis in interioribus locis vetustis incolis, quos gigantum atque semideorum appellatione designant libri indigenarum. Ab India boreali ††) quum oriundi sint milites,

donis optimates mittentibus ante tempus abusque *Divis* et *Serendivis*.“ Prorsus incredibilia haec sunt, si historia spectatur; nomina tamen in Oriente haud dubie accepit Ammianus. De Divis plura disputata sunt in notis ad locum Ammiani, bonae frugis minime plena; quibus reiectis tuto insulas innumeras quae *Lakke* (pro *laxa*) *divi* et *Male* (pro *Malaja*) *divi* hodie dicuntur, Taprobanae proximas, intelligas, de quibus Cosmas p. 336 *πέριξ δὲ αὐτῆς εἰσί τινες νῆσοι μικραὶ πολλαὶ πάνυ, πᾶσαι δὲ γλυκὺ ὕδωρ ἔχουσαι, καὶ ἀργέλλια· ἀσσοβαθαὶ δὲ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον πασαί εἰσιν.*

*) Revocandum est vocabulum ad analogiam similium vocum ex. gr. हिमाल (pro हिमालय, *Amara K.* II. 1. 12.), domicilium nivis, पोताल, navium statio (unde Graecis Pattale), पञ्चाल, quinque gentium habitatio, etc. सिंहल itaque correpta est forma pro सिंहाल. *Regnum leonum* recte dicit *Fahian*, Foe K. K. p. 328.

**) *Mahâv.* VII. p. 50. Upham, *Sacred and historical books of Ceylon.* II. 163. Eandem fabulam in insula acceptam refert viator Sinensis. Vid. *Foe K. K.* p. 391. p. 336. Paullo aliter *Dîpavança* in *As. J. of B.* VII. 932.

***) *Mahâv.* cap. VII. *Upham.* l. l. *Râg'âvali* in *Annals of Oriental literature* p. 397 seqq. *Foe K. K.* l. l.

†) *Mahâv.* p. 46. p. 52.

††) Posui Indiam borealem in universum, quoniam de situ regionis *Lâla*, a qua profectus esse dicitur Vig'ajas, disceptatur. Ad Kalingam in ora Indiae orientali referunt *Upham.* l l. et *Burnouf.* l. l. p. 132. *Foe K. K.* p. 340. seriori libro *Râg'âvali* freti; q. cf. l. l. p. 397. ubi tamen Vig'ajae patria *Lade*

quorum dux Vig'ajas fertur, usi haud dubie sunt lingua Sanscritica, ab eisque repetenda videntur quae in insula inveniantur nomina locorum Sanscritica, Buddhistarum adventu antiquiora, et si qua sint linguae Cingalensi admixta vocabula formae non Palicae, sed Sanscriticae; ex parvo advenarum numero facile intelligitur, qui factum sit, ut lingua indigenarum vetustorum, quam Cingalensem appellavimus, sola *) per totam insulam in ore hominum usuque quotidiano obtinuerit. Tempus denique quo primum in insulam venerint Vig'ajae socii si quaeritur, id ita definiunt indigenae historici, ut eodem die quo mortuus sit Buddhas huius aevi sive Gotamas, ad Tâmraparnim appulisse Vig'ajam tradant; quod commentum esse sacerdotum Buddhisticorum inde repetendum, quod a morte Buddhae computationem temporis incipiant gentes eius doctrinae addictae, vix opus est monere, atque id tantum tenendum est, saeculis aliquot ante Açôkae aetatem in insulam Taprobanen deductam fuisse ex India boreali coloniam hominum ordinis militaris. Id denique obscurum est, qui factum sit, ut inde ab initiis saeculi p. Chr. n. secundi demum in usum venerit nomen Sinhala.

His ita explicatis apparet, tria innotuisse veteribus insulae Taprobanes nomina, primumque *Tâmraparnî*, quo uti consuevere scriptores tum Graeci, tum Latini et quod in India obtinuisse vidimus inde a temporibus Alexandro Magno superioribus usque ad initia saeculi post Chr. n. primi; hoc ob naturam locorum, Indiae proximorum, a primisque colonis occupatorum impositum ideoque apud indigenas vetustissimum fuisse suspicati sumus; in eius locum successit *Palaesimundu*, ex nostra sententia potius urbis quam totius insulae appellatio, primo post Chr. n. saeculo usurpata, mox obsoleta, in libris Indorum nondum indagata; tertio loco venit in usum generalem

---

dicitur, quae in Mahâvança *Làla* audit. Si *Làd'a* scribitur, nomen idem est. Trans Gangem Lâlam propellit Turnourus. *Mahâv.* introd. p. XLIII. Ut sententiam breviter dicam, intelligenda est provincia Indiae occidentalis maritima, quae Sinensibus *Lolo, Foe K. K.* p. 392. *Asiat. Journ. of B.* V. 687; Ptolemaeo VII 1. *Làrice*, Brachmanis *Lât'a, Ràg'a Tar.* VI. 300. Wilsonis lex. s. v. appellatur. Omnes hasce formas ortas esse ex sola *Lât'a*, vulgarium Indicarum dialectorum periti facile intelligent. Documento explicationis a me propositae praeter ipsum nomen est narratio itineris, in quo ad *Supâram* appulisse dicitur Vig'ajas, quae urbs Ptolemaeo sub eodem nomine *Σουπάρα* innotuit, in periplo autem maris Er. p. 30. in *Οὔππαρα* depravata est; hodiernis Surate audit. Nomen *Lât'ika* quod efferendum est *Lârika*, prorsus uti a Ptolemaeo proditur, exstat in inscriptione Açôkae. *As. Journ.* VII. p. 237. p. 244. si recte scribitur et enarratur, cui respondens quod in altera inscriptione legitur *Rist'ika*, haud dubie in *Râst'ika* emendandum est, unde eruitur nomen Sanscriticum *Râsht'rika.*

*) Qui in insulae parte quadam interiori agunt vetusti incolae, *Vèdah* dicti, feri prorsus homines, a quibusdam vel Cingalensibus antiquiores creduntur; at de eis eorumque lingua nil omnino certi adhuc indagatum est ac refragatur testis idoneus, Davy. Vid. *Account of Ceylon*, p. 116.

nomen *Sinhala*, a Ptolemaeo inter veteres primum memoratum, ad nostram usque aetatem variis sub mutationibus vigens.

Praeter haec nomina quartum est, veteribus ignotum, licet apud Brachmanas antiquissimum atque eorum linguae quasi sanctum, quod in epica Indorum poesi vetusta regnat atque cum prima insulae cognitione apud Indos coniunctum est. *Lankam* dico, praeter quam appellationem nulla alia in tota Rameide, si memoria non fallor, obtinet, in quo carmine quae produntur fabulae de rebus a Râma gestis, satis clare significant, iam vetustis temporibus cognitam ab incolis Indiae septentrionalis, expeditionibusque tentatam fuisse insulam Taprobanen divitissimam, verum a feris prorsus hominibus habitatam; Kuvêram, divitiarum deum, insulae primum imperitasse ideo fabulantur, quo expulso regnum usurparit Râvanas, gigas saevorumque gigantum imperator, a Râma filio regis Ajôdhjae ob ereptam uxorem mox bello petitus atque interfectus. In cuius locum quum frater Vibhîshanas a Râma rex insulae constitutus fuisse dicatur et per seriora Brachmanum carmina epica locum regis semper tenere pergat, *) haud obscure indicatur, irrita fuisse prima quae ab Indis borealibus facta sint ad insulam occupandam conamina, eamque remansisse in potestate incolarum vetustorum, a cultu Brachmanum alienorum; quod perinde significant libri Buddhistici, qui nulla omnino facta Râmae mentione, Yaxas, Râxasas, Nâgas, in insula usque ad adventum Vig'ajae regnasse tradunt; **) nil enim aliud quam homines rudes ab institutis Brachmanum abhorrentes in fabulis Indicis talibus nominibus indicari, certum est.

Ex usu vulgari abolitum fuisse vocabulum Lankâ iam ante aetatem Alexandri, inde concludere licet, quod eius mentio a veteribus prorsus nulla iniecta est: at permansit in litteratura Brachmanum ab eisque mutuati sunt Buddhistae, quibus aeque sacratum est vocabulum; cuius rei documento esse potest Mahâvanças, multique alii libri in Taprobane conscripti. Etiam apud astronomos Indicos clara est insula Lanka, per cuius metropolin eodem vocabulo appellatam ducunt primarium circulum meridianum. Hoc ab antiquissimis astronomis Arjabhat't'a et Puliça factum esse traditur, ***) quorum uterque docuit initio magni cycli astronomici meatus pla-

*) Vid. *Mahâbh.* II. 30, v. 1177. Tota Râmae historia narratur Mahâbh. III, cap. 278 seqq. Vol. I. p. 775 sqq.

**) Râxasas ponere solent carmina Brachmanica; nominantur tamen etiam Yaxae, ut Mahâbh. III, v. 15886. Vol. I. p. 776. Yaxae plerumque a Buddhistis praeferuntur. cf. *Mahâv.* p. 2, 3. p. 49. etc. Quae Râxasis in Rameide tribuitur urbs Lankâ, Yaxis vindicatur in Mahâvança. Hunc in modum traditionem prodit viator Sinensis *Fahian*, ex ipsis indigenis cognitam: *Foe K. K.* p. 332. cum nota p. 340: „*Ce royaume, primitivement, n'était pas habité par des hommes; il n'y avait que des démons* (*râxasa*), *des genies* (*yaxa*) *et des dragons* (*nâga*), *qui y demeurassent.*“

***) Cf. Colebrooke. *Ess.* II. 427. 415. Davisii dissert. in *As. Res.* ed. 8. II. 229.

netarum ab eo circulo originem cepisse, hoc discrimine ut ille ortu solis, hic contra media nocte id accidisse crediderit. Parum accurate tamen verum Lankae situm cognovisse dicendi sunt astronomi Indici, quandoquidem in eodem meridiano aeque Lankam atque Ozenen collocant *) nonnulli, alii autem iusto longius in orientem insulam relegant. At haec quaestio nunc non ad nos attinet, qui id tantum indicare voluimus, parum constitisse serioribus Indis de vera Lankae positione, ita ut facile fieri posset, ut, aliis eiusdem insulae nominibus evulgatis, Tâmraparn'î et Sinhala, diversam ab his fuisse Lankam opinati sint atque tres distinxerint insulas, Lankam, Tâmraparnim, Sinhalam. Quod factum esse, iam docui.

*) Cf. Davis l. l. p. 260.

Excursus ad locum Plinii VI. XXIV. de Palaesimundu p. 12.

Ad definiendum urbis Palaesimundu situm maxime facit mentio fluvii *Cydarae*, qui *Kundara* indigenis olim dicebatur, nomine vix diverso; *) superiori cursu *Kadamba* nominabatur et loca urbi Anurâdhae vicina perfluit. **) Consentit etiam ad septentriones Indiamque versum esse Kundaram.

Secundo loco monendum est, exstare quidem per insulam Taprobanen stagna industria hominum exstructa, qualia *Tank* Indi vocant, haud pauca, operis autem magnitudine omnibus ceteris antecellere id quod *Kâlavâpi* sive lacus niger dicitur. Hunc quum prorsus ignotum V. V. D. D. permansisse videam, ipsissimis Turnouri, testis idonei, verbis describere placet: ***) »Kâlawâpi, *now* Kalâwewa *tank. This tank, situated 20 miles to the north west of* Dumbulla, *on the road to* Anurâdhapura, *and which has hitherto attracted little notice, exhibits perhaps the remains of one of the greatest of the ancient great works of irrigation, in Ceylon. The circumference of the area of the tank, when the embankment was perfect, could not have been less than 40 miles. The embankment, with the lateral mound of* Balaluwewa *is at least 10 or 12 miles long. The stone spell-water in the broken bank of Kâlawewa is, perhaps, one of the most stupendous monuments, in the island, of misapplied human labor. The canal by which the waters of this tank were conducted to Anurâdhapura, may still be partially traced.*

His ita in medium prolatis, manifestum est, quomodo a legatis Taprobanensibus erumpere dici posset Cydaras fluvius e stagno Megisba; hoc enim fontibus fluvii Cydarae et Anurâdhapurae urbi a meridie situm est, ad quam quae deductae erant eius aquae, in fluvium urbi proximum influere debebant. In ambitu stagni definiendo apparet numerum passuum iusto maiorem proditum fuisse a legatis, si re vera CCCLXXV mill. posuerunt.

De altero fluvio difficilior est quaestio, propterea quod duo ibi adsunt amnes, qui ambo conferri possint cum Palaesimundu Plinii, qui tribus alveis in portum influere traditur. Portus quum dicatur contra meridiem esse situs, appositus oppido Palaesimundu, consequitur primum, ut urbs regia a litore intervallo distaret, quod quadrat in Anurâdham, secus est in urbibus Jafnapatna et Trincomali, ad quarum alterutram oppidum Palaesimundu referri voluerunt Mannertus et Heerenius, ut supra


*) Vid. *Mahâvançam*, p. 54. ubi etiam *Kandara* scribitur; in indic. s. v. *Kadura* legitur.

**) l. l. indic. s. v. *Kadamba*. Hodie *Malwattu Oya* sive *Aripo*. *Transact. of the R. As. Soc.* III. 464.

***) l. l. indic. s. v. *Kâlavâpi* p. 11.

iam monui;*) secundo loco apparet fluvium, quippe qui iuxta urbem Palaesimundu in portum contra meridiem influat, cursu meridionali versus mare tendere dici. Cuius generis flumen in boreali insulae parte quum omnino nullum inveniatur, admodum certum est, verba loci Pliniani *contra meridiem* explicanda esse habita ratione fluvii Cydarae, qui ad septentriones cursum tenet, ac nil aliud eis significari quam hoc, magis meridiem versus situm esse portum et fluvium Palaesimundu, quam Cydaram.

His ita expositis, si adumbrationem horum locorum, quam huic paginae inserendam curavi, accurate consideramus, manifestum est, duo esse flumina, quorum alterutrum a Palaesimundu diversum esse nequit: prius *Marchikati* ad urbem Anurâdham proxime accedit, at longius distat a stagno Megisba, alterum *Pomparipo* e stagno Megisba erumpere commode dici potest, at *iuxta* oppidum Palaesimundu sive Anurâdham non fluit, ita ut utrumque habeat et quod ad descriptionem Plinii accommodari possit et quod secus sit.



1. Anurâdha. 2. Aripo fl. s. Kundara. 3. Marchikati fl. 4. Pomparipo fl 5 Weliker Aar fl. 6. Putlam. 7. Kalpentyn ins. 8. Andrasimundu prom. 9. Kudremalai port. 10. Dumbulla. 11. Kâlavâpi.

Quae quum ita sint atque in manu non sit descriptio istorum locorum topographica tam accurata, ut eius ope quaestionem diiudicare possim, in dubio eam omnino relicturus fuissem, nisi accessisset ratio quae faceret, ut magis in unam quam in alteram sententiam animus inclinaret. Fluvius nimirum Marchikati in mare infunditur eo loco quo situs est portus *Kudremalai* sive *mons equi*, quem a portu urbis Palaesimundu haud diversum esse ex eo suspicari licet, quod alio loco eum *Hippuros* nomine appellare videtur Plinius. **) Eiusdem significationis enim est vocabulum Graecum, ex ἵππου ὄρος conflatum. ***) Omnino vicinus praeterea urbi Anurâdhae est fluvius Marchikati, ut supra iam dictum est, et canali facto facile in eum ex lacu deduci potuerunt aquae. De eius alveis, quos iusto ampliores fortasse tradidit Plinius, nil addo, quum desit accuratior descriptio atque tota haec insulae ora prorsus

*) p. 13.

**) VI. XXIV. „Annii Plocami libertus — — Hippuros portum eius (i. e. Taprobanes) invectus, hospitalis *regis* clementia“ etc. Item est rex qui legatos misit ad Claudium.

***) Cf. Ritteri nostri geogr. Asiae. Vol IV. 2. 21.

plana sit et stagnantibus aquis atque paludibus abundet, quo fit ut in alveos amplos facile expandantur fluviorum aquae; at hoc non de Marchikati solo valet.

His ita enarratis vix dubius esse potest situs urbis Palaesimundu. Accedit quod nulla alia urbs regia in hac insulae parte hisce temporibus exstitit*); de indigenarum testimonio supra**) dixi et quae a Ptolemaeo memoratur Μαάγραμμον***) μητρόπολις ab Anurâdha 2°50′ orientem versus et 1°10′ in meridiem remota,****) urbs fuit principalis partium insulae meridionalium, indigenis olim *Mahâgrâma* sive magna, Palice *Mahâgâma*, nunc *Mâgama* dicta †) atque omnino non in quaestionem vocanda est.

Sententiae quam in medium protulit Heerenius, ad Trincomali portum hodiernum referendam esse urbem Palaesimundu, argumenta prorsus levia sunt: esse in istis locis reliquias urbis antiquae magnas; nam quod eam regionem perfluit fluvius insulae maximus Ganges, potius contra facit, quum eius nomen in descriptione Pliniana haud exstet. Obstat praeterea positio regiae Palaesimundu mediterranea et congruentia nominum Cydara et Kundara, neque adest in parte ista fluvius alter ex eodem quo Cydara lacu profluens et alio cursu mare petens. Multo probabilior esset opinio, si ad lacus prope a Candelli et Minere (Manihîra) ††) sitos quis referre vellet stagnum Megisba †††); at absunt ab hisce locis vestigia urbis regiae veteris.

Unum quod restat est, ut inquiramus in tempus quo exstructum fuerit stagnum Megisba, cuius mentionem quum iniecerint legati Taprobanenses ad Claudium missi; consequitur, ut ante annum p. Chr. n. LIV. perfectum id iam fuisse debeat. Annales Taprobanenses si consulimus, invenimus, opera irrigandarum terrarum caussa maxima et plurima exstrui iussa fuisse a rege *Vasabha* (Vrishabha), qui inter annos p. Chr. n. LXVI et CX regnasse traditur ††††); lacubus eius iussu aedificatis annumeratur etiam is qui *Kâla* dicitur §) atque a nobis cum Megisba Plinii collatus est.

---

*) Ad confirmandam nominis Palaesimundu explicationem a me propositam magnopere facit traditio indigenarum his verbis a Chapman relata in observatt. de urbe Anurâdhapura, in *Transactions of the Royal Asiatic. Soc.* III. p. 463. „*According to the native records* Anurâdhapura *was, during the long period of nearly thirteen hundred years, with occasional short intermissions, both the* principal seat of the religion *of the country and the residence of its kings.*“

**) p. 13.

***) Editiones nonnullae *Ναάγρ*. at veram scripturam exhibet etiam locus VIII. 12.

****) Anurâdha a Ptolemaeo collocatur 124°10′ 8°40′; vera positio est 80°35 a Greenwich (~ 98°16′) 8°15′ lat. bor. Cf. Trans. of the *R. As. Soc.* III. 463.

†) *Mahâv.* indic. s. v. Mahâgâma.

††) Eorum descriptio legitur in *Journal of the Royal geograph. Soc.* III. p. 229.

†††) Cf. Ritteri nostri geogr. IV. 2. 25.

††††) *Mahâv.* p. 220 seq. ab. chronol. p. LXII.

§) *Mahâv.* p. 221. Undecim lacus ei attribuuntur praeter duodecimum ...nassakarissam; duodecim canales; ibid p. 222. atque opera multa alia. cf. etiam quae ex *Dipavan*... prodita sunt *As. J. of Beng.* VII. 933.

Quod si vere traditur, consequi videtur ut nulla iniici posset a legatis ad Claudium mentio eius sub nomine Megisba atque aliud invenire debeamus stagnum a rege quodam vetustiori exstructum, quod cum Megisba comparari possit. Neque ita in hac quaestione agere nobis licet, ut aut testimonium Plinii impugnare aut annales Taprobanenses falsae temporum computationis insimulare aggrediamur ob solam eam rationem, ut sententiam a nobis propositam defendamus, praecipue quum inde ab anno CLXIV ante Chr. n. prorsus sibi constare chronologicas istorum annalium rationes asseruerit diligens huius rei perscrutator, TURNOURUS. *) Difficultas tamen quae ita nobis obiicitur, satis facile nisi fallor amoveri poterit, si accuratius considerantur annales Taprobanenses. Tradunt enim etiam a prioribus regibus lacus et canales in vicinia urbis Anurâdhae maximos fuisse exstructos; exempli caussa mentionem habeant opera sub rege Kalakanna inter annos XLI—XIX ante Chr. n. aedificata **) et quae regi Amandagâmini inter annos XXI—XXX p. Chr. n. adscribuntur. ***) Imo conditori urbis Anurâdhae exstructio lacus attribuitur. ****) Neque omnino probabile est, opus tantae magnitudinis, quale fuit Megisba, ab uno eodemque rege et inceptum et perfectum fuisse, probabiliusque prioribus regibus magnam operis partem esse vindicandam. Videtur omnino Vasabhas multa aedificia et opera antiquiora temporis iniuria diruta denuo instauranda curasse †) et facile confundi a recentioribus potuerunt quae nova eo regnante aedificata fuere cum eis quae eius iussu aut aucta aut instaurata sunt. Auctum itaque a rege Vasabha crediderim stagnum Megisba, novo imposito nomine *Kâla*, quod posthac saepius recurrit, ††) antea omnino non reperitur. Nomen Megisba explicare nequeo.

---

*) *Mahâv*. introd. p. LI. **) ibid. p. 210. ***) ibid. p. 215. ****) ibid. p. 65.

†) ibid. p. 221. दीपेऽखिलंहि आवासे जिण्णे च पटिसंखरि । „per totam insulam aedificia diruta instauranda curavit.“

††) ibid. p. 256. p. 257. p. 260.